

fratrem tracta illum. Qui tamen si immorigeri et duræ cervicis sint, corripit etiam debent, juxta regulam S. Bern. lib. IV. de confid. *Ament te domesticus tui: si non, facito ut timeant, necnon Ecclesiastici, loco cit. Cibaria et virga et onus asino: panis et disciplina et opus servo.* Amorem timori præponit Bernardus: cibaria virgæ Ecclesiasticus, ut sciant heri prius tentanda esse media humanitatis et benevolentiae, postea, si hæc non profecerint, adhibenda media timoris et correctionis.

Præterea regulus iste iter in se suscepit, quod committere poterat servis suis. Non ergo a laboribus eximat se paterfamilias; et omnes in servorum dorsa rejiciat, sed suos etiam humeros laboribus supponat. Ita olim fecerunt ditissimi etiam Hebræi: Abraham, licet supra trecentos haberet vernaculos, quando diventerunt ad eum peregrini, ecurrat ipsemet ad armentum et tulit inde vitulum, deditque eum puero (Ismaeli filio, ut volunt Hebræi apud Lyran.) qui ferret eum Saræ coquendum; coctas quoque epulas ipsemet apposuit, et ministravit mensæ, Gen. XVIII. itaque pater, filius et mater omne hoc obsequium sine famulis præstiterunt. Gedeon totius Israelis iudex constituendus purgavit triticum in area, Judic. VI. Saul jam factus rex boves agebat, I. Regum XI. Si hæc tanti viri, quanto magis opifices et ruricolæ suum etiam laboris pensum exhibere una cum servis debent? Imo, Aristoteles in œcon. ipsos ad laborem primos, ad quietem ultimos esse vult: *Expergisci, inquit, decet prius dominum quam servum, et cubitum ire posterius.* Similiter Cato, de re rustica, capite V. de Cicero, lib. II. de divin. hoc præceptum rustico dant: *Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat.* Sic etiam mulier illa sapiens, laudata a Salomone, Proverb. cap. XXXI. *Panem otiosa non comedit, sed de nocte (prima utique) surrexit deditque prædam (cibum seu admorsum) domesticis suis, et cibaria ancillis suis.*

Rursum iste regulus non videtur habuisse servos ad pompam et splendorem. Non enim legitimus servos ejus latera stipasse cum accederet ad Christum, sed domi ad operas relictos et revertenti primum occurrisse. Non ergo carent reprehensione illi patresfamilias, qui ad solum splendorem multis utuntur servis. Audient illi D. Chrysostom. homil. XXVIII. in epistola ad Hebræos, in hæc verba perorantem: «Sint tibi etiam si volueris, pueri duo. Sed pudor, inquit, est, si cum duobus servulis matrona procedat: non est pudor, sed magis pudor est cum plurimis ambulare. Fortassis enim etiam irridetis hæc audientes: Credite mihi, quia istud pudor

est. Sicut nundinatores pecorum vel sicut caupones vœnialium servulorum, ita magnum horputatis cum servis plurimis ambulare: » et infra: «Die mihi, nonne angeli soli totum mundum circumeunt, et pedissequis nullis egent? Non propterea nobis inferiores existunt, indigentibus non indigentes? » Quæ familia illustrior fuit familia Noe, ex qua post diluvium totus mundus prodiit? Et tamen nullos in arca servos habuit: ipse cum tribus filiis suis eorumque uxoribus omnia servitia obiit, omnibus animantibus pabula sua dedit.

Ad hæc inter servos reguli apparet fuisse magnam concordiam, ut qui unanimi consensu Domino occurrerunt, et de hora restituti filii interrogati, in eandem sententiam responderunt: *Heri hora septima reliquit eum febris.* Signum igitur hanc concordiam inter ipsos ab hero fuisse stabilitam: magnum quid præstabit, si hoc præstet paterfamilias. Juvabit porro ad hoc consequendum, non quosvis admittere in familiam, sed delectum meliorum habere, uti fecit David, qui in Psalm. C. ait: *Non adhesit mihi eor pravam, declinantem a me malignum non cognoscebam: detrahentem secreto proximo suo, hunc persequerbar: superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quales ergo admisit? *Oculi mei ad fideles terræ: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Sed et lustrationem servorum faciebat, et superciliosos ejiciebat, subdit enim: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.*

Denique, non satis habuit regulus fidem persuasisse uxori et liberis, persuasit etiam servis suis; quia teste Joanne, credidit domus ejus tota. Ergo paterfamilias salutem etiam servorum suorum spiritali consulat, et quam strenue potest, peccata illorum impediatur ac redarguat: «Pro Christo, inquit D. Augustinus, tract. XXXIII. in Joan. et pro vita æterna suos admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat charitatem, ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium. » Non dicat cum Caino: *Num custos fratris mei sum ego?* Gen. IV. *Mandavit enim Deus unicuique de proximo suo,* Eccl. XVII. quanto magis paterfamilias de domesticis suis?

Nunc ad extremum videamus talem patremfamilias, qualem hic descripsimus. Fuit sane talis, si quis alius, Sanctus Elzearius comes Ariani, ut habetur in vita ejus, capite XVIII. Primo enim, constituit, ut omnes e domo sua, quotidie missam integre audirent: secundo, ut viverent caste et pure, qui secus facerent, eos domo sua expellebat; nolebat enim, ut quis-

quam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, et ne ejus peccatum fovere videretur: tertio, ut nobiles et milites, itemque virgines et matronæ semel in hebdomade confiterentur, et semel in mense communicarent: quarto, ut eadem virgines, et matronæ mane usque ad prandium precibus et piis exercitiis vacarent; a prandio manuariis operibus sese occuparent: quinto, ut nemo auderet blasphemare Deum, Beatam Virginem, aut aliquem sanctorum, vel, jurare temere, vel inhonesta proferre (*corruptum enim bonos mores colloquia prava,*) eum qui secus fecisset, in pane et aqua jejulare cogebat: sexto, ut nemo luderet tesseris aut alio lusu turpi et inhonesto: septimo, ut omnes pacem, amicitiam et concordiam colerent; si quis alium offenderet, mox cum offenso rediret in gratiam: octavo, ut quotidie a prandio aut vespere inter illos, ipso præsentem fieret collatio et collocutio de rebus piis et salutiferis. Nostro quoque sæculo B. Thomas Morus Angliæ cancellarius et martyr, ita proles et familiam suam tam in litteris quam in virtute et pietate christiana instituit, ut de ea scribat Erasm. Rot. in farrag. hom. XXVII. «Hanc domum rectius dixeris scholam et gymnasium christianæ religionis. Nullus ac nulla illic est non vacans liberalibus disciplinis frugisferæque lectioni, tametsi præcipua primaque pietatis cura est. Nulla illic rixa, nullum petulantius verbum auditur, nemo conspiciatur otiosus. Ac tantam familiæ disciplinam vir ille non supercilio jurgiisve tuetur, sed comitate ac benevolentia. In officio sunt omnes: sed adest alacritas, nec deest sobria hilaritas, » apud Stapletonum, in vita; qui et hæc subjicit: «Castitatis eam curam habebat ut in diversis habitaculis ministri et ancillæ cubarent, et rarius conversarentur, nec nisi ob res necessarias femine in eam partem domus prodierint in qua agebant viri. In more habebat singulis noctibus cum domi esset, familiæ suæ bonam partem in aulam domus convocare, antequam cubitum iret pariterque cum illis orare; et tres psalmos, omnibus genua flectentibus, recitare, ut Miserere mei Deus; Ad te Domine levavi; Deus misereatur nostri. His adjunxit Salve Regina, cum collecta: et in fine De profundis, pro defunctis. Hoc etiam cancellarius regni facere non destitit. Non est passus quemquam suorum diebus festis a divino officio abesse; et quidem ut principio interessent, fecit: diebus magis solemnibus natalis Domini et resurrectionis, de nocte omnes surgere et toti officio adesse curavit: quum aliquis peccaret, ita ob-

jurgabat et cum tanta lenitate, ut post objur-gationem magis amaretur. » Filius et tres filiæ ejus ad mensam recitare sacræ Scripturæ lectionem cum commentariis per vices debebant, de qua etiam post mensam collationem instituebat. Denique, ea cum pietate ac gravitate familiam rexit ut ad eum postea in carcere constitutum filia ejus Margareta sic scribebat: «Quid esse arbitraris pater charissime, quod in hac absentia tua nos potissimum consolatur? Certe ipsa vitæ tuæ nobiscum anteactæ memoria, conversatio tua sancta, consilia salutaria, exemplum virtutum; spes ac fiducia fore ut hæc in te non perseverent modo, sed et augeantur magis divina astipulante gratia. » Et talis quidem paterfamilias Morus fuit, sic illam rexit, inquit Stapletonus. Hos imitentur utinam omnes patresfamilias, uti et hodiernum regulum, quo nimirum et de ipsis dici coram Deo possit: *Cre-didit ipse, et domus ejus tota.*

CONCIO VI.

QUOMODO PRINCIPES TERRE MIRA DEI OPERATIONE AD FIDEM ADDUCTI SINT.

I. Quomodo Abagarus toparcha Edessæ. — II. Constantinus Magnus. — III. Bacurius rex Iberorum. — IV. Clodovæus rex Francorum. — V. Adadus Auximitarum rex. — VI. Heraclius rex Persarum. — VII. Widekindus Saxonum rex. — VIII. Bogeris Bulgarorum princeps. — IX. Geysa Hungarorum princeps. — X. Miczulaus Polonorum princeps. Zaccornus dux Saracenus. — XI. Cassanus rex Tartarorum. — XII. Palatinus Podoliæ.

THEMA.

Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Joan. IV.

Ex libro Numerorum, capite X. discimus præcepisse Deum fieri duas tubas, quibus Hebræi convocarentur, sed diversa ratione. Modo enim unica, modo ambæ inflari debebant: ad hæc modo plano et æquabili tono, modo vario seu conciso atque flexili. Populum quidem convocari voluit Deus utriusque tubæ sono, eoque plano et simplici: principes vero unius tantum, ut ex Hebr. Septuag. et Josepho, libro XIII. capite XI. constat (quod noster interpret vertit semel clangere) eoque vario et conciso, ut colligitur ex versu septimo. Quid hæc ad nos, auditores? Multum per omnem modum. Tubarum namque sonum evangelici præconii typum esse docet Cyrillus, lib. V. de adoratione. Cæterum duobus potissimum modis evangelium Christi

per orbem propagatum mundoque persuasum esse scimus, prædicatione et miraculis. Prædicatione velut una tuba sufficere debebat terræ hujus principibus utpote capacioribus, ut converterentur: rudi et imperito populo si utraque tuba inflaretur, prædicatione et miracula, nemo mirandum diceret. Propterea igitur Christus cum regulo in evangelio hodierno videtur expostulare, quod is præter evangelium requirat etiam miraculum, quasi ipsi dicat: Nonne vos principes et reguli magis sapere quam plebs adeoque unius tubæ, prædicationis meæ, sonitu contenti esse deberetis, juxta legem Dei? Sed ut video, vobis quoque, quemadmodum et plebi, utramque inflare tubam debeo, et doctrinæ miracula addere. Itaque bonus Dominus et magister descendit istis regulis et præter evangelicam doctrinam adjecit eis, saltem aliquibus, miracula, ut vel utraque tuba fidem persuaderet. Videamus hic exempla.

I. Abagarus rex seu toparcha ditionis ultra Euphratem, refert Nicephorus, lib. II. cap. VII. et alii gravissimi auctores, residens in Edessa civitate, cum irremediabili detineretur morbo, audiens famam miraculorum Christi in Judæa, quomodo languores omnes absque medicamento curaret, rogavit eum per litteras ut ad se venire dignaretur et se a morbo liberaret; si quidem crederet ipsum aut Deum esse, qui cælos deserens ad terras descenderit, aut certe Dei Filium: dignaretur porro secum habitare in sua civitate, in qua a Judæorum invidia et insidiis securus esset. Rescripsit ille Christus propria manu se quidem ad ipsum venire non posse, siquidem oporteret eum ad Patrem a quo exierit, iterum redire, postquam imperata ejus fecisset: hoc vero iter, ubi confecisset, missurum se illi unum ex discipulis suis, qui non tantum morbum ejus abstergeret, sed etiam auctor illi foret ad meliorem vitam. Abagarus igitur, cum de adventu Christi desperaret, maximo tamen ejus videndi desiderio teneretur, misit peritissimum pictorem, qui faciem ejus adamussim delinearet: sed cum hoc tentaret pictor, et in opere impediretur a fulgore faciei Dominicæ, Christus id advertens, purissimo linteo faciem suam impressit et in eo ad vivum expressit eamque dans pictori, misit ad Abagarum. Exinde rex in Christum credidit et melam ab eo speravit. Ergo post Christi ascensum Thomas misit eo loci unum ex septuaginta discipulis, Thaddæum, qui dum mira patrat in Edessena civitate, rex memor promissionis Christi eum ad se vocari jussit, et cum Christi discipulum esse perspexisset, ab eodem manus

impositione mox sanatus est, uti et filius ejus Audus e pedum doloribus ac multi alii. Præterea ab eodem in fide instructus, jussit ut omnes subditi convenirent et audirent prædicationem Thaddæi et ab eo baptizarentur. Remansit illa imago maximo cum honore in ea urbe et præclara edidit miracula, de quibus luculenta extant testimonia, apud Baron. anno Christi 31. Ecce primum reguli nostri sectatorem qui: *Credidit, et domus ejus tota.*

II. Anno 312. Constantinus Magnus imp. cum de bello Maxentio tyranno inferendo cogitaret, et Dei omnium creatoris, non deorum, auxilium imploraret, ei post meridiem, crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso cælo manifeste apparuit, in itinere cum esset, spectante et obstupescente exercitu, in eoque hæc verba: *In hoc vinces.* De significatione ostenti sollicito et dormienti, Christus Deus, cum signo in cælo monstrato, videndum se præbet, præcepitque ut exemplari ad imitationem illius fabricato, tamquam præsidio in prælio utatur. Unde mox christianæ religionis professores evocat Constantinus, et ab eis de Christo edoctus, statuit enim sibi colendum ejusque sacerdotes sibi assessores adesse voluit. Itaque hoc signo armatus in hostem movet moxque territum fugat et in Tiberim præcipitem cum exercitu suo agit et suffocat: postea etiam plurimas alias insignes victorias obtinet. Exinde adhuc catechumenus christianam religionem plurimum promovit, gentilismum vero attrivit: plurimas etiam nationes ad fidei susceptionem invitavit et pellexit. Denique, cum lepra laboraret, quam e medicorum præscripto, infantum sanguine curare nitebatur, monitus ab apostolis est per somnium, ut ab hac detestabili balneo desisteret, et Silvestrum papam accerseret, qui piscinam illi monstraturus esset, in qua salutem consequeretur. Quod et factum est, dum baptizaretur, anno Christi 324. Baron. ib. Ejus baptisterium ampla et eleganti forma adhuc Romæ integrum visitur prope S. Joannem in Laterano.

III. Anno 327. Bacurius rex Iberorum cum gente sua quæ juxta Caucasum habitat versus mare Caspium, per captivam quamdam piam feminam ad fidem conversus est. Cum enim filius ejus infans graviter infirmaretur et a nutrice ad alias feminas, de more ejus gentis, medelæ gratia circumgestaretur, devenit tandem ad captivam christianam, quæ inter ethnicos illos sanctam ducebat vitam. Hæc itaque nihil aliud medelæ adhibebat, præterquam orationes, quas super infantem fundebat ad Deum, nomine Christi invocato: unde confestim infans, qui

putabatur jam moriturus, convaluit. Nec multo post regina ipsa quoque, infantis mater, simili modo per illam sanata est: unde ipsa ad religionem christianam vehementer incensa, regem instigabat ad eamdem amplectendam. Qui tamen adhuc dubius et suspectam habens religionem christianam, dum venandi gratia silvas ingrederetur cum suis, repente cadens nebula silvam obscuravit, ut undique rex aberraret, a sociis derelictus, anceps et timore plenus. Itaque suos invocavit deos, sed incassum. Ad extremum memor feminæ illius captivæ, decrevit Deo Christianorum servire, si ex hoc labyrintho tenebrarum eriperetur. Mox igitur ut hoc statuit, clara lux affulsit, et rex ad suos salvus rediit: vocavitque Christianam et ab ea instrui in fide petiit. Legatos item ad Constantinum misit pro sacerdotibus: ipse viros, conjux ejus feminas ad religionem perducere sedulo adlaborabant, templum extruxerunt, et ita totam gentem ad Christum adduxerunt, Ruffinus, lib. I. cap. X. Niceph. lib. VIII. cap. XXXIV.

IV. Anno 449. Clodovæus Francorum rex, cum Germani Francis nollent amplius tributari esse et subditi, eos magna vi armorum impetivit, et dubio valde Marte cum iis dimicavit. Cumque admodum de salute et victoria periclitaretur, ad Christum (adhuc gentilis) ex uxoris instigatione et hortatu, se supplicem convertit orans: *O Domine Jesu Christe, quem conjux mea Filium Dei nominat (erat enim Christiana, dicta Clotildis, nata ex Burgundia) rogo ac obsecro te ardentissimis votis, ut velis mihi victoriam concedere, cum ego porro in te credam, et baptismum promptissimo accipiam animo.* Nactus ergo victoriam, votum suum confirmavit opere et baptizatur cum tribus milibus suorum aulicorum a S. Rhemigio episcopo Rhemensi: cumque, sic ex uxoris consilio ad religionem christianam pervenisset, in ejus memoriam, urbem a Germanico Waib, quod, est mulier, loco, quo commissa fuerat pugna, nuncupatam extruxit, Gregor. Tur. de gestis Franc. lib. II. cap. XXX. XXXI. Hinemarus, in vita S. Rhemigii, apud Surium 13. jan.

V. Anno 45. Justiniani imperatoris, qui est Christi 541. Adadus Auximitarum (populi sunt in India) rex bellum illaturus Damiano Hebræo regi quod negotiatores Christianos interfecisset, vovit se Christianum fore, si Homeritas (quibus Damianus imperabat) vicisset. Et quidem commisso prælio, vicit eos auxiliante Deo, victumque regem vivum cepit, et in potestatem suam redegit, regnoque et regia potitus est. Itaque gratias Deo agens, misit ad Justinianum, ac petiit episcopos sibi ab eo mitti. Ita tota regio

fidem amplexata est, Cedrenus; Nicephorus, I. XVII. c. XXXII.

VI. Circa annum 641. sub Constantino I. filie Heraclii imp. « Regis Persarum conjux, nomine Casara, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus privato habitu, propter fidei christianæ amorem Constantinopolim venit. Quæ ab imp. honorifice suscepta, post aliquot dies, ut desiderabat baptismum consecuta, et ab Augusta, de sacro fonte lavata est. Quod vir ejus, Persarum rex, audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus sibi uxorem suam redderet. Imp. audiens, remque omnino ignorans, legatis respondit: De regina quam queritis fatemur, nos nihil scire, præter quod ad nos adhuc aliqua mulier privato habitu advenit. Tum legati: Si placet vestro conspectui volumus hanc, quam dicitis, mulierem videre. Quæ cum jussu imperatoris advenisset, mox ut eam conspiciunt, ad ejus vestigia provolvuntur, eique venerabiliter, quod eam suus vir conquirit, suggerunt. Quibus illa respondit: Ite, renuntiate regi vestro et domino, quia nisi sicut ego jam credidi, ita et ipse in Christum crediderit, me jam ulta consortem thori habere non poterit. Quid multa? Reversi legati omnia regi annuntiant; qui nihil moratus, cum sexaginta milibus Constantinopolim pacifice ad imper. venit a quo gratanter et satis digne susceptus est. Qui cum universis in Christum credens, pariter cum omnibus sacris baptismatis unda perfusus, et ab Augusto de fonte lavatus, catholica fide confirmatus est, multisque muneribus ab Augusto honoratus, accepta sua conjuge lætus et gaudens ad suam patriam repedavit, » ita Paulus diac. de gest. Longob. I. IV. c. LII.

VII. Anno 785. « Incessit cupido principi Saxonum Widekindo lustrare regis Caroli Magni castra quod etsi palam jam reconciliatio liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia scrutari. Vicina erat paschalis solemnitas et rex cum universo milite pro christiana pietate, se tum sacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ passionis, et expiatione criminum in purgatione conscientie. Widekindus mendici habitu per fluvium in navicula allabatur, et quominus nasceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie affectabatur. Rex illis largam stipem jussit erogari. Widekindus, ubi ad eum perventum est, dexteram et ipse protendit. Attendit, qui distribuit incurvum in manu digitum qualem sciebat habere Widekindum. Vultum ejus diligentius intuetur, agnosci arridens, qui largiebatur. Quid

ita mendicus inter mendicos sederet princeps ditissimus, percontatur. Ille nihil ad hæc, sed ad regem se jubet introduci. Erat tum sanctissimus paschæ dies, rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet indignus principe habitus. Ille sub hæc: Volui serenissime rex hoc habitu incognitus ut sperabam lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter adspicere potuissem. Curiositas induxit, ut latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam susceptus propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit rex vidisti, quod te vidisse delectat? Ille ut erat adhuc rerum Christianorum rudis, subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu demisso tristem, incertus quid contigisset, quod tantum regem contristaret: (commemoratio fuit Dominicæ passionis, quæ die parasceve regium vultum obscurasset.) Rursum, inquit, vidi hodierna die te primum sollicitum et ad rem attentissimum: posteaquam vero mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre quod de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum, aridere ultro properate, aliis vero abhorrentem avertisse vultum, et tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum rex: Bene, inquit, profecisti, plus tibi, aliquid, quam cunctis sacerdotibus, et omnibus ostensum est. Inde mutata veste, manum secum abstractam, docuit grande pietatis mysterium in altaris sacramento. Qua re cognita exhilaratum duce orasse, ut proprium illi sacerdotem permitteret, qui divinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret altaris sacramentum ministerium. Rex etiam pontificem illi daturum, promittit, modo illi habitationem episcopi dignam provideret, duce vero arcem suam ad Wiseram utriusque capacem ostendisse, deditque in ejusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ ecclesiæ. Ferunt proinde nomen ecclesiæ provenisse, quod meum et tuum, quasi communes duorum possessio sonat in lingua Saxonum vernacula. Erat vir præcipua religione Herimbertus qui cum Carolum latere non posset, dignus est habitus, quem primum præficeret Ecclesiæ Mindensi episcop. Adjecit illi ministeriales non paucos, nec parvos, ut haberet Ecclesia defensores suos. Illi vero, quia ex imo gradu in nobilitatem excreverant, ut partim comites, partim duces fierent, sprevisse matrem videntur. Ornata autem est ecclesia jam tum ab initio multis ss. reliquiis, Feliciani, Fulginatis

episcopi et martyris, Theodori episcopi. Carpophori et Habundi martyrum. Profecit autem Ecclesia tam in spiritualibus, quam temporalibus sub hoc pontifice, agente novitio fervore in populo recens converso: instante nihilominus bono pontifice, qui frugum divini verbi curavit in populo multiplicari. Referunt Bar. et Bred. l. I. c. V. Albert. Cranz. l. II. et Sax. c. XIII. et l. I. metrop. c. IX.

VIII. Anno 845. Bogoris Bulgarorum princeps adhuc gentilis, cum ingens fames Bulgarorum regionem occupasset, omnique destitueretur auxilio, Christianorum Deum, (de quo jam antea a sorore edoctus erat) ut sibi opem ferret, invocavit, idemque facere omnem sibi subjectam nationem jussit et remedium impetravit. Ad hæc cum insatiabiliter venationi deditus esset, qua oblectare se studebat, non modo cum se venatum conferret, sed etiam cum otiosus esset domi, idque per animalium pictas figuras, constructa nova domo Methodium quemdam monachum, arte pictorem, jussit domum illam, picturis exornare. Verum quasi divina quadam providentia ductus, non præscripsit definite, quænam et qualia pingeret animalia, verum quæcumque ipse vellet, jussit depingere, terribilia tamen esse, quæ pingerentur, ut spectantibus terrorem et metum incuterent. Ille vero nihil terribilius sciens secundo Christi adventu, hunc ibi descripsit. Cumque jam finita illa esset pictura conspicatus princeps ex altera parte, justorum cælum coronari, ex altera vero impios puniri, et a pictore percepta picturæ mente statim propriam ejurat religionem, imbutusque ab episcopo divinis mysteriis intempesta nocte serum percepit baptismum, et Michael vocatus est. Cum autem agnovissent nationis præfecti, communem mutatum religionis cultum, in principem conspirantes, eum de imperio dejicere studebant; quos ille parva, quam secum habebat, manu fudit fugavitque præeunte crucis signo, et inopinata re percussos, Christianos effecit. Refert Joannes Curopalates, apud Baron. anno Domini 845.

IX. Ante annum Domini 1000. Geysa Hungarorum princeps jam diu christiana sacra cogitabat, eratque in ea cura totus, quomodo id perfici posset. Nocte igitur dormienti adstitit juvenis formosissimus, prænuntians fore ut illi filius nasceretur, qui Christi cultum late propagaret in Hungaricis regnis; ipse modo experrectus occurreret præsuli sanctissimo, eique in omnibus rebus obediret. Evigilans Geysa accersitis Christianis nonnullis et intimis suis somnium narrat et mox illi nuntiatur advenire Adalbertum Pra-

gensem antistitem, qui ipsum inviseret. Obviam processit Geysa et quid sibi somnum vellet agnovit, nomen Christo cum suis dedit; et uxori ejus jam gravidæ apparuit in somnis Stephanus protomartyr prædicans fore ut pareret filium, cui prima dignitas regia inter Hungaros deberetur, eique nomen imponeretur Stephani. Atque ita contingit ut præsignificatum, Bonfinius, l. I. dec. II.

X. Anno 965. Mieszislaus Polonorum princeps (Miesca vocatur a Witikindo, qui temporibus illis vixit) cum septem, more barbarico, uxores seu concubinas haberet, neque ex iis ullam posset prolem suscipere, persuasus est a quibusdam Christianis, fore, si Christo nomen daret, ut filios gigneret et magna felicitate posterius ejus florent. Neque res fefellit. Drahomiram namque (alii Dambroucham vocant) uxorem duxit regis Bohemi filiam, Christo se adjungens et nobilissima cœlitus progenie est honestatus, Baron. anno 965. Simili eventu Zacomus dux et antesignatus unius tribus Saracenorum ad fidem conversus est cum tota tribu sua, postquam precibus alicujus monachi filium obtinisset, apud Niceph. lib. XI. cap. XLV.

XI. Anno 1298. Tartarorum Cassanus, quem vocant alio nomine Magnum, cum ducentis equitum millibus Syriam cepit et finitimas regiones. Omnibus itaque formidandus petiit sibi uxorem filiam regis Armeniæ, quod audisset esse pulcherrimam. Rex christianus tanti regis viribus exterritus, dedit. Illa post aliquot tempus e viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, ut pater maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere; quod monstrum videretur. Vocat ad consilium primarios; de ipsorum sententia uxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum ultimo supplicio adjudicat. Innocens mulier infelicitatem suam deplorans ad preces confugit; ignaro consilii petiit, ut sibi liceret baptizare quem peperisset. Data illi facultas, ita tamen, ut adesset baptismo aliqui fidei spectata viri, una cum rege, ne qua fraus fieret. Mira res, ubi baptizatus est, adeo venustus ac formosus apparuit, ut rex tanta re permotus, cum plurimis nomen Deo dederit, et maximum rei christianæ factum fuerit incrementum. Hæc Joannes Villaneus qui illis temporibus fuit, l. VIII. c. XXXV.

XII. Recentius est quod scribit Florimundus Raymundus, de orig. hæres. lib. IV. cap. XI. de Palatini Podoliæ notabili conversione. « Palatinus hic, inquit, cum die quodam sacerdoti catholico plus pietatis quam doctrinæ habenti, vellet illudere, hominem ad prandium invitavit. Men-

sæ assidentem, Palatino innuente, Prædicans quidam variis quæstionibus urgere cœpit, jam caput aliquod doctrinæ, jam papæ tyrannidem, jam dissolutam ecclesiasticorum vitam in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille sacerdos, ac strenue interim appositis vescitur. Tandem ad Palatinum conversus: Quid hic hominis est, quæso. O, inquit, equidem ad prandium, non ad disputationem invitatus sum. Ibi risu solvi omnes, et boni sacerdotis simplicitatem, vel potius incitiam (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille: Equidem, inquit, jam hoc agam et prandebo, ubi pransus fuero, tum forte homini isti respondebo. Sublatis mensis, sacerdos ita inquit: Hodie sacrum in altari peragens, hac usus sum precatione: Discerne causam meam de gente non sancta. Spero sane hunc ipsum Deum pro sua omnipotentia et misericordia preces has meas exauditurum. Facto deinde crucis signo, Prædicantem ita alloquitur: In nomine Patris et Filii et Spiritus s. per Dei, cujus ego indignus servus et sacerdos sum, auctoritatem et potestatem mando tibi maligne spiritus, ut obmutescas, nec per os istius hominis loquaris. Quid fit? Vix ille hæc verba pronuntiaverat, cum ecce Prædicans pisce magis mutus sedet. Tum sacerdos iterum: Jam inquit, ut homo loquere et tibi respondebo. Hactenus enim cum maligno illo spiritu, qui per os tuum locutus est, et tam atroces contra Jesu Christi sponsam injurias evomuit, verba commutare religioni mihi duxi. At Prædicans frustra loqui conatus, cum ne gry quidem proferre posset, demisso capite, totus pudore perfusus inde se proripuit, omnibus hoc miraculo obstupefactis. Illi tamen eidem, muto quidem, nihilo tamen minus astuto diabolo color non defuit, quo hanc Prædicantis infamiam palliaret, vi magicæ artis factum dietitans: a qua tamen suspicione Gorseium (id enim nomen erat sacerdoti) vitæ simplicitas atque innocentia facile vindicabat. Palatinus vero miraculo hoc obstupefactus in se rediens errore, in quo educatus fuerat, abjurato, una cum familia sua ad catholicam Ecclesiam est reversus, et in ea constanter perseveravit: quem Pibracus noster tam ob singularem eruditionem et eloquentiam, quam armorum usum et rei bellicæ peritiam majorem in modum laudare est solitus. »

Ex dictis varia documenta possumus colligere, primo, quam bonus sit Deus noster, qui tam suavibus et mirabilibus mediis voluit terrarum principes, veluti ad credendum et fidei humilitatem difficiliore ad se pertrahere, seque eis accommodare. Sufficiebat quidem, vocasse eos